

suum, suorumve aut Episcopi commodum pertinentibus; et si capitulo interfuerit, et rem de interesse proprio seu suorum aut Episcopi proposuerit, debet exire, et relinquere canonicos solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent, ut § præc. de Episcopo dictum est (1).

III. Quando capitulo assistit ut canonicus, in proprio loco canonatus seu promotionis sedere debet (2), in digniori autem loco, si uti vicarius intersit (3).

Vicarius generalis vocem in capitulo non habet nisi sit canonicus, quia hoc tantum spectat ad capitulares. Ut vicarius suffragium ferre non potest, et uti canonicus unicum tantum in loco suæ receptionis (4).

§ 14. De rebus pertractandis in capitulo.

I. Primo loco, sicut justum est, proponenda et tractanda sunt quæ concernunt officium divinum ejusque celebrationem; tum quæ spectant ad ecclesiasticam disciplinam, ad statutorum et laudabilem consuetudinem observantiam; deinde si opus fuerit, agendum est de chori defectibus ac de correctione delinquentium in ecclesiæ servitio; et demum de privatis rebus ac temporalibus negotiis (5).

II. In capitulo tabula officii ordinanda est, vel jam composita ab illo ad quem pertinet, prælegenda, ut omnes officia sua cognoscant, et omnibus præsentibus mox corrigatur, si quid corrigendum irrepserit.

Providendum etiam est officiis, muneribus et oneribus occurribus, prout occasio aut necessitas exegerit. Si opus fuerit, elegendi sunt receptor, punctator, secretarius, præfector sacristie, rector confraternitatis, deputati pro seminario, ad concilium provinciale, etc.

Notandum est, ad hæc munera eligendos esse illos, qui magis idonei censentur, quia in his nulla ratio dignitatis aut antiquitatis consi-

(1) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 18-20; Barbosa loco cit.

(2) Barbosa loco cit. n. 12.

(3) Decisio 47, S. Rot. Rom. in 1 p. Scarfantoni n. 18; *Analecta juris Pont. sér. VI*, 1863, fol. 2041.

(4) S. R. C. 17 Jul. 1640, *Turritana*; Lucius Ferraris loco cit. n. 21 et 22.

(5) S. Carolus in instruct. ad canonicos; Scarfantonius lib. IV, tit. 1, animad. 46 et 47, tit. IV, n. 55.

deranda est. Aliud autem dicendum est de munibus, quæ rationem præminentiae aut cuiusdam prærogativæ præ se ferunt, uti sunt officia pontificalia et propria dignitatibus, circa quæ ordo in cæremoniali Episcoporum præscriptus, exacte servandus est. Talia plura in capitulo ecclesiæ cathedralis occurrere possunt. uti inter alia receptio novorum canonicorum, quæ ad digniorem et alias ad seniorem canonicum pertinet, et sine injuria alteri committi nequit, nisi per statuta vel consuetudinem aliter disponatur.

III. Canonici curare, et ad hoc in capitulo præcipue providere tenentur, ne bona fundationum et res ecclesiæ deperdantur aut diminuantur, sed integra et illæsa conserventur, et ad successores transmittantur. Hanc obligationem imponunt indubitate fundatorum intentio, ipsa fundationum natura, Ecclesiæ canones et leges, quæ etiam rerum ecclesiasticarum alienationem inhibent, eamque factam irritant (1).

Canonicorum similiter est, attendere, ne annui proventus aliter quam secundum fundatorum voluntatem atque ordinationem distribuantur. Si v. g. fundatores ordinaverint, ut proventus in distributiones singulis horarum officiis annexandas, et inter solos præsentes dividendas, convertantur; aut solis his, qui in certis solemnioribus festis chorum frequentarint, et officiis divinis interfuerint, cedant: haud dubie canonicis illicitum erit proventus illos, etiam inter istos, qui ab horis canonicalibus abfuerint, aut in dictis solemnioribus festis et officiis non comparuerint, partiri (2).

Præterea ea pars redditum, quæ ex piis testantium dispositiobibus provenit, et est destinata vel pro eleemosynis missarum, vel pro distributionibus assignatis pro celebratione anniversariorum, vel pro certo servitio, et assistentia divinis officiis; hæc in illum præcimum usum applicanda est, nec ad libitum capitularium potest in diversum converti aut diminui emolummentum. Quæ enim ad certum usum destinata sunt, ad alium converti non debent (3).

IV. De redditibus annuas expensas excedentibus disponere possunt capitulares in communes ecclesiæ necessitates, veluti pro sustinendis litibus communibus aliisque oneribus, universum statum ecclesiæ respicientibus, et conferentibus ad totius corporis honorificentiam, et in subventionem aliarum necessitatum alia-

(1) Wildt, *Off. sive obligatio canonici*, cap. X, § 1.

(2) Wildt ibidem § 3.

(3) Ita Scarfantonius lib. IV, tit. V, animad. 1.

V. Præterea vota libera esse debent, sicut ex rei natura ad omnium actuum essentiam requiritur.

Hinc illicita sunt pacta suffragandi alteri sub onere huic imposito etiam suffragandi primo; quoniam debitus invertitur ordinare dandi suffragia. Quinimo canonicus non potest sine labore simoniæ alicui suffragari ex pacto, cum collega inito, quod iste suum daturus sit votum in alia simili electione ad præbendam vel beneficium alteri, cui idem maluerit (1).

VI. Item vota ferenda sunt pura, certa et absoluta, non alternativa, nec conditionalia aut inutilia. Votum incertum dicitur, si quis dicat: consentio in Joannem vel Petrum, aut in eum cui Franciscus suum votum dederit. Alternativum, si dicatur, nomine Petrum aut Paulum, aut copulative Petrum et Paulum. Conditionatum, dicendo, eligo Antonium, si præposito placuerit, vel si ille consenserit. Inutile, dum quis suum votum præbet alicui, quem jura vel statuta incapacem reddunt. Hujusmodi vota nihil operantur, et reputantur, ac si non darentur, nec augent, nec minuantur numerum (2).

§ 16. De voce secreta et manifesta.

I. Licet de jure non requiratur, ut vota prætentur secreto, expediret tamen, quod in omnibus actibus capitularibus secreto fierent, præcipue quando de rebus gravibus ineunda erunt suffragia, ut quisque votum, prout sentit, sine timore proferat, tum quia votum secretum minus inconveniens est, et majorem præbet libertatem (3). Quapropter usus improbatur semper palam suffragandi in capitularibus deliberationibus (4). Quinimo canonicus videns in re justa proposita se non posse victoriam reportare per vota aperta, petere tenetur secreta. Nec valet dici, ipsius votum, tam secretum quam manifestum vanum esse, cum majorem capituli partem perspiciat paratam esse ad contrariam sequendam opinionem; quoniam confidere debet, quod Dominus, qui illuminat abscondita tenebrarum, eos perducturus sit in viam veritatis, quæ omnia vincere solet (5).

(1) Vid. Acta S. Sedis vol. XIII, 1881, fol. 390-397.

(2) Scarfantonius lib. IV, tit. VI, n. 42-51.

(3) Pallottini *Capitulum* § VIII, n. 79, Barbosa de canon. c. XXXVII, n. 23.

(4) S. C. C. 17 Januarii 1761, *Trident.* § 6, apud Zamboni tom. IV, *Capitulum*, § X.

(5) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 60.

II. Si statuta ecclesiæ suffragia secreta præscribant, certum et clarum est, ea secreto facienda esse. Si tamen de communi omnium canoniconum consensu palam prætentur, non idcirco redundunt nulla: ratio est, quia non agitur contra jus commune, et communi igitur canoniconum consensu aliter fieri potest. Quinimo sustinentur capitulares resolutiones, palam factæ a canoniciis, quamvis juxta statuta nullatenus faciendæ sint, nisi per vota secreta. Secus tamen dicendum est, si adesset clausula irritans, et statutum a Papa confirmatum esset, vel ita a jure communi dispositum (1).

Cum suffragia secreto fiunt, et aliquis capitularis votum suum palam dare audet; hic non solum venit arguendus a capituli præfecto, sed pro illa vice in poenam a dando secreto suffragio repellendus est (2).

III. Juxta lib. 1, Decretal. tit. VI, c. 42. *Quia propter*, pro electione Praelatorum tres scrutatores fide digni eligendi sunt. Cum autem pro aliis sive electionibus sive resolutionibus capitularibus nihil in jure statuatur, jus examinandi scrutinea competere potest digniori, vel alii, uni aut pluribus, et potius duobus aut tribus, prout in statutis præscribitur, vel ex consuetudine observatur, vel singulis vicibus ordinatur.

Si in casu secretorum suffragiorum, major pars canoniconum se opponat, et declareret se hæc suffragia non dedisse, quæ præses aut scrutatores publicant; suspenditur actus, et denuo devenitur ad novum suffragium, cui præsidet persona omnium et singulorum confidentiam habens. Secus autem, ut per se liquet, dicendum est, si minor tantum capituli pars, post factam votorum publicationem, reclamet (3).

§ 17. De voto dando per litteras et per procuratorem.

I. Licet aliqui (4) admittant votum per litteras dandum; certum equidem est, canonicum absentem, votum per litteras dare seu mittere non posse: cum juxta lib. 1, Sexti Decretal. tit. VI, c. 46 *Si quis justo, § 3,* «absens, licet nullus de collegio velit esse

(1) Scarfantonius lib. IV, tit. VI, n. 21-26.

(2) Scarfantonius lib. IV, tit. VI, n. 41.

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. VI, n. 73-75.

(4) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 61.

" procurator ejusdem, nec ipse nolente capitulo extraneum valeat. " deputare, non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum " suum " (1). Eo etiam non obstante, quod capitularis procuratorem constituere valeat; quia aliud est, votum mittere in scriptis, et aliud procuratori committere votum dandum in capitulo: qui enim mittit, absens est, procurator autem dat votum collegialiter et capitulariter.

II. Communiter admittitur votum dari posse per procuratorem, modo fiat cum conditionibus requisitis, ut infra dicetur.

Dignitates et canonici, vocem in capitulo habentes, procuratorem constituere possunt, ad votum eorum nomine dandum, non solum in electionibus ad canonicatus, beneficia et officia, sed et pro resolvendis certis negotiis capitularibus, pro quibus convocandi sunt, quotiescumque fit capitulo extraordinarium (2); modo ea vigeat consuetudo, aut ita ferat statutum ecclesiae (3).

Requiritur autem juxta c. *Quia propter*, § *Illud autem* (4) 1º ut procuratorem constituens sit absens a loco capituli, non quocumque modo, sed ut sit in tali loco constitutus, ex quo possit ac debeat vocari: unde si extra talem districtum, attenta cuiuslibet loci consuetudine, constitutus sit, non habet jus constituendi procuratorem (5): 2º Ut justo impedimento detentus venire non possit. Hujusmodi autem impedimentum adest juxta responsum S. C. C. (6), si abfuerit ob aliquam causam ex his, quae sunt approbatæ in constitutione Bonifacii VIII, quae sunt infirmitas, seu justa rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas; et quales censentur timor accedendi ad locum capituli, capitales inimicitiae, insidiæ paratæ, detentio in loco unde exitus non datur,

(1) S. Rot. R. 10 Dec. 1698, apud Bouix de capit. p. V, c. 17, § 7, III; Reiffenstuel lib. 1, tit. VI, n. 194; Louvrex dissert. VI, n. 43; Bouix de capitulis p. I, sect. IV, c. VII.

(2) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 51; Huguinin tom. 1, fol. 385, actus capitularis.

(3) Lucius Ferraris *Capitulum* art. III, n. 47; Monacelli *Formularium* p. 1, tit. 1, form. 2, n. 7, apud Bouix de capit. p. 1, sect. IV, c. VII; Craisson, *Manuale jur. Can.* n. 2381.

(4) Lib. 1, *Decretal.* tit. VI, c. 42.

(5) Reiffenstuel lib. 1, tit. VI, n. 182; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. III, n. 47; Louvrex dissert. VI, n. 35; Bouix loco cit.

(6) 18 Feb. 1623, *Dubium*, lib. 12 decr. p. 119 a tergo apud Zamboni *Canonici* § XII, n. 5, et Pallottini *Canonici* § X, n. 93. Vide etiam Acta S. Sedis, vol. XIV, fol. 371.

vocatio ad aliud tribunal et similia (1). 3º Ut si opus fuerit, juramento super impedimento fidem faciat. Quod juramentum vel ipsem præstat, et tunc de eodem in instrumento procuræ constare facit, vel ejus procurator, cui tunc ad hoc speciale dat mandatum (2). 4º Ut procreationem committat uni de eodem capitulo, vel etiam pluribus juxta c. *Si quis justo* (3), modo omnes in solidum delegentur, ita ut unus sine alio votum præstare valeat. In hoc autem casu melior erit conditio occupantis; et si omnes admitti postulent, is dumtaxat admittendus est, quem capitulum eligit, vel qui primus in litteris procreationis existit nominatus (4). Licet juxta cap. *Quia propter*, § *Illud autem*, procuratio uni de capitulo committenda sit; extraneus tamen etiam procurator constitui potest ex cap. *Si quis justo* § *Absens*, cum hoc tamen discrimine, quod si procurator sit de gremio, capitulo eum admittere teneatur; si autem sit extraneus, capitulo si velit, eum admittere possit, non autem teneatur (5).

III. Procurator duas habet voces, unam suo nomine, et alteram nomine committentis procreationem; utramque autem uni eidemque dare debet; ita ut vocem suam uni et alteram nomine procuratorio alteri præbere non possit; nisi dominus qui procreationem ei commisit, speciale mandatum dederit; tunc unum votum juxta speciale mandatum et aliud suo nomine licite dare potest, uti expresse habetur in VI, lib. 1, tit. VI, c. 46, *Si quis justo*, § 2 *Porro*. Ratio est, quia sicut procurator tenetur melius votum dare proprio nomine, sic etiam nomine committentis; si autem speciale habeatur mandatum, tunc ille qui mandat, dat votum (6).

IV. Unus et idem canonicus a pluribus deputari potest ad feren- dum suffragium (7); ita ut eo casu tot suffragia habeat, quot canoni- ci eum deputaverunt.

Procurator constitui potest per litteras privatas, authentico sigillo constituentium sigillatas (8).

(1) Reiffenstuel, loco cit. n. 183.

(2) Reiffenstuel loco cit. n. 184; Scarfantonius loco cit. n. 52 et 53.

(3) In VI lib. 1, tit. VI, c. 46.

(4) Reiffenstuel loco cit. n. 185-188.

(5) Reiffenstuel loco cit. n. 189.

(6) Reiffenstuel loco cit. n. 190; Scarfantonius loco cit. n. 57.

(7) Scarfantonius loco cit. n. 65.

(8) Scarfantonius ibidem n. 66.